

Illuc ingrediatur. Et licet hoc denuncietur ip-
 si Episcopo, vel non credet, sed suggerente tali
 Fratre, dicet, quod talia de eo per inuidiam & odi-
 um dicuntur, vel dicet, quod talia que de eo dicuntur
 sunt leuia, & quod propter hec remoueri non
 debet: neque hoc permittet, putans in hoc illius
 Fratris honorem seruare, & per eum suis in
 hoc melius providere ouibus. Hec & alia mul-
 ta sequerentur incommoda, & inconuenien-
 tia, que prudentioribus relinquo examinanda:
 Quare Rex Catholicus harum Indiarum Do-
 minus & patronus, Apostolicusque Delegatus
 magno consilio per suas Schedulas statuit &
 ordinauit ut Fratres Mendicantes qui Neo-
 phytorum instructioni intendunt, Episcopis
 subiicerentur in iis que nudum Parochorum
 ministerium, Sacramentorumque administra-
 tionem concernunt: inceteris vero Fratres
 omnino ab Episcoporum iurisdictione exemp-
 tos reliquit. Et quando hac de re aliquod su-
 biret dubium Summus Pontifex, & Rex con-
 sulendi essent, & eorum standum determina-
 tioni & decreto. Illud autem sine formidine di-
 co, quod in casu quo Fratres subiici Episcopis
 cogerentur, quoad deputationem & assigna-
 tionem, vel remotionem a locis, in quibus ha-
 bitant